

riant, ergo et parturiant, qui crispant comam sicut feminae: et tamen illae velantur, et isti bellantur.

III. Quid si uxor forsitan aliquando fugiat? Quid hic juris? Utique quod apostolus, I. Cor. VII. praescribit: *Is autem qui matrimonio juncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere.* Quod si vero discesserit, potest eam velut servum fugitivum retrahere. Accedit lex divina, quae uxorem Adamo dedit in sociam, ut fatetur Adamus, Gen. III. Non ergo deserere virum debet. Quam ob causam forte natura longos ei capillos dedit, ut fugientem per capillos posset vir ad se retrahere, uti sentit Guil. a Monte Lau. in clem. cum ex eo, v. continentes, afferens canonem *Quaecumque*; ideo vetare mulieribus, *ne comam sibi amputent, ut mariti, quidam in eis invenirent, unde possent uxores trahere et ligare.* Ita agit cum uxore sua levites ille Jud. XIX. quem cum illa reliquisset et reversa esset in domum patris sui, secutus est eam et reduxit ad se: quae tamen in via poenas fugae suae dedit, dum a viris Gabaa foede ad mortem usque constuprata, ad ostium domus, in qua maritus mansit, corruit, et occubuit. Bene ad ostium domus alienae, quia ostium domus suae egressa maritum deseruit. E contra si vir ab uxore fugiat, quid hic juris habet uxor contra virum? Id enim quod statuit Deus Gen. II. *Relinquet homo patrem et matrem et adhærebit* (Graece conglutinabitur, ut vertit Tertullianus) *uxori suae.* In quem textum S. Chrysostomus: *Non dixit simpliciter, inquit, unictur, sed adhærebit: ut summam conjunctionem significet, et erunt duo in carne una.* Quare in hoc casu fugientem maritum insequatur uxor. Quod sane fecit Eva, quando fugientem in dumetum, ut se absconderet Adamum, et ipsa mox secuta est: quemadmodum et ejectum e paradiso, Gen. III. tametsi Scriptura de solo Adamo loquitur, cum emissum asserit, de muliere tacet. Nimirum jure merito, quae socia viro ad culpam fuit, sociam quoque ad poenam ei se adjunxit, et adjungere debuit.

IV. Quid si uxor contumax et refractaria fieret, quid hic agendum foret? Variant hic sententiae et varia allegant jura. Imprimis Corn. a Lap. in Eccle. c. II. ex Chrysostom. tria in tali casu media docet adhibenda. Primum est docendas et admonendas esse conjuges; quod quidem est suavissimum et ordinarie adhibendum. Uxor enim de latere viri, non de pedibus creata fuit; proinde ut amantem haberi, non contemni et calcari debeat: neque ea viro in ancillam, sed in sociam data est. Secundo, medium est, si priori nil proficiatur, confundendas esse, pudor enim est frænum vitiorum, praesertim in feminis.

Tertium subjungit, si aliud nil juvet: *Justum est, ut castigetur quasi ancilla, quae erubescere nescit ut libera.* Verum alii mitiores, ad verbera descendendum negant, et probant ex apostolo ad Eph. V. dicente: *Qui suam uxorem diligit seipsum diligit; nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed fovet et nutrit eam.* Quare sicut stultus reputatur, qui ex insano furore suas ipse fenestras confringit, vel fornacem suam dejicit: ita etiam qui uxorem propriam percutit. Stultus plane et a dæmone obsessus fuit ille, qui apud Marcum, cap. V. seipsum lapidibus concidit. Nihil magis sapere videtur, qui uxorem percutit; quia seipsum caedit. Quare potius suadendum, ut malae hujusmodi uxores exemplis virtutis et prudentiae castigentur: *Sæpe enim mulierum peccata, virum impertita contrahuntur,* ut ait Sextus Pythagoricus. Deinde lenitate cum severitate mixta videntur emendandæ. Dixit quidem Ecclesiasticus, c. XXV. *Commorari leoni et draconi placebit, quam habitare cum muliere nequam.* Verum sicut leones, ut cieurentur, nec verberibus sunt caedendi (hi enim efferantur et recrudescunt magis) nec rursus blanditiis nimium leniendi, ne nimis superbi evadant, teste Philostrato, lib. VII. sed blanditiæ minis permixtæ illos compescunt: ita fere cum mulieribus agendum censet jurisperitus Tiraquellus, lege nona connub. At quid si uxor in virum insurgat et verberibus eum appetat? Hic statuendum. Nonne Deuteronomii legem supra jam audivimus: *Non induetur veste virili mulier.* Quid aliud hoc esset, quam si miles in duce, discipulus in magistrum insurgeret? Viperæ non feminae hujusmodi uxores compellandæ sunt, uti expresserunt hieroglyphico Ægyptii. Etenim vipera cum mari miscetur, caput ejus mordicus amputare dicitur, teste Horo. apol. Plin. I. X. c. LXII. Atqui vir nonne caput est mulieris? ad Eph. V. caput igitur, hoc est dominium, si non et vitam abscondit viro conjux, cum verbera ei infligit. At hoc quia nimis indignum et enorme scelus foret, nunquam eventurum puto. Quod si tamen hoc contingat aliquando, tunc audiendus erit D. Chrysostomus, in Psal. III. « Uxor (inquit) tecum si bellum gerit, ingresso tamquam fera occurrit, linguam tamquam gladium. Res quidem valde molesta ac difficilis quod auxiliatrix adversaria facta est: teipsum tamen ex anima, numquid in juventute in mulierem novi quid attentaris, et quod mulieri a te vulnus inflicti est curetur per mulierem, et alienum ulcus propria uxor, chirurgi officio fungens meditetur: et quamvis quæ secat, ignoret, novit tamen Deus medicus. Ipse enim ea tamquam ferro adversus te usus

est, et quemadmodum ferrum nescit, quid agat, futuram autem per ferrum medelam novit, medicus ita etiam licet ignoret uxor, quæ ferit, et maritus, qui feritur, causam ictus. Deus tamen ut medicus novit, quid conferat. Quod autem mulier mala sit peccatorum pugnus seu colaphus, testis est Scriptura. Quid enim dicat audi: *Mulier mala viro peccatori dabitur. Et dabitur tamquam amarum antidotum, quod peccatorum malos humores consumat.* » Sic Chrysostomus. Quamquam potest etiam tam enormiter lædi a viro mulier, ut excusari queat, si ex sui impotentia manus vicissim illi violentas inferat. Mirum et mirabile exemplum hujus rei dabimus. Mulier ex marito filium susceperat: marito defuncto alium duxit, ex qua pariter filium genuit. Hic secundus maritus una cum hoc filio suo priorem filium, puta privignum, quem illa de priori marito susceperat, clanculum interemerunt, ut soli mulieris essent hæredes. Mulier, imo mater id resciscens, in zelum, imo furorem acta, tam maritum quam filium interemit. Rea viricidii et filicidii ob casum impleti novitatem delata fuit ad Areopagitas. Illi videntes hinc reatum criminis, inde dolorem justum, qui ream ad talionem vindictæ impulerat, causa indecisa hanc protulere sententiam: *Rea et læsi post centum annos nostros tribunali sistantur: ita refert P. Corn. a Lapide in Eccl. cap. XXVI. §. VIII. et IX.* Nunc vos, o novi conjuges vidistis, nisi fallor, quanta requiratur in vobis juris prudentia, ut tranquille inter vos vivatis. Hæc igitur præcepta diligenter observate; ac si forsitan, quod absit, aliqua inter vos contentio oriatur, quæ suos utrinque patronos habere videatur, ita his aliter nisi verberibus decidi non possit, tunc post centum annos venite ad tribunal meum, ut causam vestram decidam.

CONCIO VII.

NUPTIÆ CONTRAHENDÆ IN DOMINO, EX PRÆCEPTO
S. PAULI.

Magnum opus molimini vos, o novi conjuges, dum ad statum matrimonii vos devovere vultis. Certe qui ad religionis statum perpetuum aspirat, prius per annum integrum ad minimum se probat, atque examinat, an in eo perseverare possit; pari igitur jure magno cum examine in difficilem hanc arenam descendere vos decet. Certe Christo teste, Luc. XIV. qui turrim ædificare vult, prius: *Sedens computat sumptus, qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum.* Rursum:

Rex iturus committere bellum adversus alium regem, sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se? Atqui vos paratis struere turrim aliquam, quasi Babylonicam illam, qua ad cælum conscendatis in conjugali statu. Paratis vos ad bellum, ut cum potenti hoste configatis, quem vocat apostolus tribulationem carnis Corinth. qui innumera tela in vos ejaculabitur. Num igitur sedistis prius et computastis sumptus atque vires vestras? Nolim quidem ego de hoc dubitare. Cæterum ut hoc molimen prospere votis cedat, id omnino observandum est, quod apostolus ibidem suadet dicens: *Cui vult nubat, tantum in Domino, q. d. permitto quidem viduæ, ut rursus tam difficili statui sese committat: modo id fiat in Domino.* Quid autem hoc sibi velit, vobis exponam, ut prius sumptus et arma tradam, antequam vos conjungam.

I. *In Domino* contrahere matrimonium, hoc est, in fide christiana, vera et catholica. Id enim ad litteram expetiit ibi Paulus, ut volunt Sanctus Ambrosius, Theod. Theophil. Anselmus, Sedulius, S. Thomas et in primis S. August. primus de adult. conjug. c. XXI. Hinc Ecclesia postea omnino prohibuit matrimonium catholici cum hæretico, et a potiori conjugium catholice cum hæretico: atque irritavit matrimonium Christiani cum pagana: adeo ut lethaliter peccent, qui contraveniunt; excepta Germania, Polonia, Hungaria, Gallia et vicinis regionibus, in quibus Catholici cum acatholicis permixte vivunt, adeoque necessitas id requirit: modo conjux catholica libere et absque perversionis periculo permittatur vivere in religione sua, et in eadem educare prolem suam, uti docet Thom. Sanchez, disq. LXXII. tom. II. Verum quia hoc difficile obtinere est, maximopere dissuadet et obmurmurat Ecclesia. Scimus enim ob eandem causam prohibitum fuisse Hebræis connubium cum gentilibus, Exod. c. XXXIV. *Certissimum enim* (dicitur III. Reg. XI.) *avertent corda vestra, ut sequamini deos eorum.* Quo verbo pungitur Salomon, qui licet sapientissimus per alienigenas tamen uxores ad idola struenda et colenda tractus fuit. Scimus Rachelem discedentem a paterna domo surripuisse patri idola, eaque mordicus retinuisse et abscondisse, donec a marito Jacob ei subtraherentur, Gen. XXXI. Scimus Hebræorum illorum, qui duxerant uxores Azoticas, Azotice magis quam Hebraice locutos fuisse, adeoque matres potius gentiles, quam patres Hebræos in moribus expressisse, II. Esdr. XIII. Audiamus S. Ambrosium, I. I. de Abraham, c. IX. « Quomodo potest congruere charitas, si discrepet fi-

des? Et ideo cave, Christiane, hæreticam et omnem alienam a fide tua uxorem accersas tibi, etc. Quin et gentilis ille Plutarchus hoc documentum tradidit: « Cum sit primus et maximus Deus, quem vir censet esse colendum, solum cum cognoscere uxorem decet: curiosæ religiones et peregrinæ superstitiones a vestibulo domus arcendæ sunt, » in præceptis connub. Quare si quis omnino sponsam non catholicam sibi despondit, curet is (non ad litteram, sed spirituali sensu) adimplere id, quod mandatum fuit Hebræis, Deut. XX. ut, si quis duxisset gentilem captivam ac despondere sibi voluisset, illa prius raderet sibi cæsariem ac circumcideret unguem, et deponeret vestem, in qua capta fuit, sedensque in domo sua fleret patrem et matrem. Hoc enim præstabit uxor facta catholica, si deposuerit vanas persuasiones capitis sui, quas habuit de catholicis: deinde abstinuerit a cavillis, quibus antea eos insectata fuit: præterea habitum et mores catholicos induerit, ac denique defleverit pristinos suos ac forte parentum suorum errores atque ignorantias.

II. In Domino, h. e. in gratia Domini Dei, quo sensu dicitur Apoc. XIV. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur*, scilicet in statu gratiæ. Quæ quidem dispositio necessaria est iis, qui contrahunt matrimonia. Quomodo enim tam difficilem statum, qui ad dies vitæ ligat unum cum una, sine Dei gratia, et quidem peculiari sustinere posset? Propterea namque Christus nuptiis Canæ Gallæe interesse, easque primo suo miraculo vini ex aqua facti, condecorare voluit, ut sciremus absque gratiæ divinæ assistentiâ statum illum indissolubilem subsistere non posse. Propterea etiam Deus in paradiso copulans Adamum cum Eva medium se sistere, quasi parochum voluit; quasi stare non possit, quod sua gratia non solidasset. Eandem ob causam Dei Mater vinum nuptiis illis in Cana celebratis a Filio expetiit. Quemadmodum enim vinum calci mixtum solidissimum efficit cæmentum, ut structuræ inde durabiles et quasi æternæ fiant: ita vinum gratiæ divinæ stabilit matrimonium, ut perduret usque ad mortem unius vel alterius conjugis. Quare Ecclesia (in Concilio Trid. sess. XXIV. c. I. de reform.) ubi dicitur: *Sancta Synodus conjuges hortatur, ut antequam contrahant, vel saltem triduo ante matrimonii consummationem, sua peccata diligenter confiteantur, et ad ss. eucharistiæ sacramentum pie accedant,* magno consilio statuit, ut inituri statum istum prius ab omni labe animos purificent per confessionem, et per s. communionem confortent, quo gratiæ hujus peculiaris seu matrimonialis fiant capaces. Nisi

enim per pœnitentiâ vas immundum expurgetur, nequaquam repleti balsamo divinæ gratiæ potest.

III. In Domino, h. e. ad Dei gloriam et religiose, non sicut filii Seth, qui spectantes solum mulierum pulchritudinem, elegerunt sibi uxores, Gen. VI. Ideoque a diluvio hausti sunt, vel uti septem illi Saræ conjuges, qui carnis solum voluptatem velut equus et mulus quærebant, Tob. VI. qui a dæmone obruteati sunt: necnon Sichem ille, Dinam insano amoris æstu rapuit ac violavit, ideoque a filiis Jacob interemptus est, Gen. XXXIV. Nec opes quærantur et dotes, nam: *Quæ utilitas maximæ dotis est*, inquit D. Chrys. ho. XXIX. in Matth. *cum inepta et prodiga uxor sit? Cum ut ventum omnia dissipet? Quid porro si lasciva petulansque sit, quam mille consequantur amantes? Quod si etiam ebriosa? Nonne citius in summam maritum depellet paupertatem?* Confirmat hoc Rupertus abbas, qui ait non absque causa soporem Adæ immissum ipsumque in Deum raptum fuisse, cum ex ejus latere fieret Eva, mox ipsi desponsanda. Vult enim hoc significasse conjugii futuro non esse attendendum ad opes, formam, delectationem, aliosque profanos fines, sed præcipue ad Dei gloriam et liberorum progeniem, non ad speciem mulieris aut voluptatem carnis. Unde Sanctus Basil. I. de virginitate: « Quid est, ait, in Domino nubere? Non ut vile mancipium voluptatibus carnis ad coitum protrahi, sed iudicio et commodioris vitæ ratione nuptias eligere. » Similiter fere respondet S. Chrysost. hom. X. in I. ad Cor. c. VII. « Quid est autem: In Domino? (inquit.) Cum temperantia, cum honestate. Ea enim semper est opus et eam oportet insequi, alioqui enim non licet quidem Deum videre? » Id observavit Abraham, qui daturus sponsam filio Isaac, misit servum in Mesopotamiam, ut ex sua cognatione quæreret filio uxorem, quæ foret præclaræ indolis et virtutis: nec dotem ab ea requisivit, sed ipse potius obtulit, Gen. XXIV. Unde Eccl. XXII. dicitur: *Filia prudens hæreditas viro suo, h. e. loco hæreditatis: quia vir sapiens plus diligit prudentem uxorem sine hæreditate, quam fatuam cum magna hæreditate*, ait Hugo purpuratus in eum locum. Neque attendendum ad carnis delectationem, sed ad posteritatem potius in liberis propagandam; juxta id Clementis Alexandri, stro. II. *Matrimonium propter liberos, non propter voluptatem esse debet. Quod imprimis egregie observavit Tobias, qui accepit conjugem, prius coram Deo protestatus est: Tu Domine scis, quia non luxuriæ causa accipio sororem meam conjugem, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur*

CONCIO VIII.

SPONSUS ET SPONSA DANTUR AB ECCLESIA, UT
BUCELLÆ, EX DICTO TERTULLIANI.

nomen tuum in sæcula sæculorum, Tob. VIII. Qui hoc non observant, sæpe gignunt liberos, quales fuere gigantes illi, qui terram perturbarunt, ideoque diluvium inixerunt, quia prognati erant a parentibus solam in uxoris pulchritudinem et libidinem spectantibus. Sed quid præterea spectandum? Exponit id apost. I. Cor. VII. *Propter fornicationem*, inquit, *unusquisque uxorem suam habeat*. In quem locum Sanctus Chrys. ho. *Quales ux. ducend. Non dixit ut evitetur paupertas, ut parentur divitiæ. Sed quid? Evitemus scortationem, ut moderemur concupiscentiam, ut vivamus sobrie, ut Deo placeamus, contenti uxore propria. Hoc nobis offert conjugium, hic ejus fructus, hoc inde lucrum.*

IV. In Domino, h. e. Dei adjutorio, quo sensu loquitur apost. ad Philip. IV. *Omnia possum in eo, qui me confortat*, q. d. in Dei auxilio. Cum enim status matrimonii admodum difficilis sit, sæpe etiam in liberis obtinendis, aut sterilis aut infelix, non tam in auxilio mutuo conjuges sperant, quam in Dei adjutorio. Non respexerat huc Rachel, quando sterilitatis impatiens dixit marito Jacob: *Da mihi liberos, alioquin moriar*, Gen. XXX. Ubi S. Chrys. hom. LVI. in Gen. inquit: *Inconsiderata et muliebris est hæc petitio: Da mihi liberos. Quare a viro petis ea, quæ supra naturam sunt et relicto naturæ Domino virum arguis, qui ad hoc nihil conferre poterit? Unde merito audivit a viro: Num pro Deo ego sum, qui privavit te fructu ventris tui? Nec minus necessarium conjugibus est Dei adjutorium propter alias quam plurimas hujus status difficultates. Qua de causa Deus Abraham, vivente ejus uxore, multoties apparuit, eum dirigens, consolans et confortans; ast ubi uxor Sara centenaria mortua fuit: *Notandum*, inquit Rupert. I. VI. in Gen. c. XXV. *quia Deus Abraham ulterius apparuisse non legitur*. Quæ causa? Nimirum Abraham superstite uxore eguit tot Dei visitationibus, ne succumberet matrimonii mole oppressus, defuncta vero uxore non eguit tot præsidii. Quamobrem et vos, o novi conjuges, hunc statum ingredienti, in Domino inchoate: et quemadmodum illi in Cana, Jesum invitate ad nuptias: alioquin profecto deficiet vobis vinum, deficiet lætitiâ: et bibetis aquam tribulationis. Adhibete et preces Deiparæ ut hæc vinum vobis impetret, adeoque in Domino conjugamini, vivatis et moriamini.*

Tertullianus antiquissimus doctor, in I. de monogamia, c. XI. ita alloquitur sponsam: *Matrimonium postulas ab episcopis, a presbyteris, a diaconis, ut in Domino nubas. Illi plane sic dabunt viros et uxores, quomodo bucellas. Hoc enim est apud illos: Omni petenti te dabis*. His etiam liceat mihi alloqui vos neonymphos? Postulatis a me matrimonium: ut ergo in Domino nubatis, dabo vobis quod petitis, quia dictum nobis est: *Omni petenti te tribue*; sed dabo tibi sponse uxorem ut bucellam panis: et similiter tibi sponsa virum. Cogitate igitur vos stare hic velut mendicos, bucellam panis mendicantes. Dabo libens et volens; vos accipite bona mente.

I. Do vobis conjugem, sicut bucellam eucharisticam seu panis consecrati. Ita explicat Tertullianum commentator ejus Pamelius. *De illis*, inquit, *buccellis loquitur, ut conjicio, quas domum ferendas ab Ecclesiæ ministris accipiebant*. More enim antiquo in Ecclesia primitiva persecutionis tempore dabatur s. eucharistia in manus communicantium, quam viri excipiebant lotis, mulieres vero nitidissima sindone, opertis manibus et domum deferebant, congruo tempore sumendam, ut testatur idem Tertul. I. de spectaculis, Cyrillus Jerosolym. catech. V. mystag. S. Aug. ser. CCXXIV. Itaque mi sponse, sponsam tuam excipito sicut bucellam eucharisticam, h. e. velut rem sanctam et signum amoris Dei, qui tibi eam dedit, ut cum honore eam et accipias et tractes in omni vita tua. Ait enim Sapiens, Prov. XIX. *Domus et divitiæ dantur a parentibus; a Domino autem proprie uxor prudens*. Quæ verba S. Chrysost. ex Græco textu ita interpretatur: *A Deo agglutinatur uxor viro*. Deus igitur est, qui dat et præparat imo et agglutinatur uxorem viro; quemadmodum et Adamo adduxit Evam velut paranympus, et tradidit atque copulavit velut parochus, medius stans inter illos. Idem dicendum de sponso respectu sponsæ. Neque vero solum ex Deo dante sancti estis, sed etiam ex dono ipso et personis vestris: quas veluti res sacras et membra Christi summo cum honore et veneratione sumere et usurpare vos decet. Certe bucellam panis pede calcare, etiamsi casu fiat, religioni ducitur; unde solemus vel micam panis e terra levare atque exoculari, quasi piaculum sit eam humi jacentem relinquere. Quanto magis panem sacrum? At hujusmodi uxor tua, o conjux. Cave igitur hanc

buccellam, quæ Dei imago est, a Deo tibi tradita, injuria afficias aut ignominiose tractes. Audi S. Chrys. hom. XXVI. in ep. I. ad Cor. « Summa injuria est (inquit) vitæ sociam, et in rebus necessariis antea tibi conjunctam, tamquam mancipium ignominia afficere, ideo hujusmodi virum (siquidem vir appellandus est potius quam fera) et patricidæ et matricidæ similem esse dixeris. Nam si patrem et matrem uxoris gratia relinquere præcipimur, non ut eis injuriam faciamus, sed ut divinam legem impleamus, et ipsis parentibus tam gratum est, ut relictæ gratiam habeant, et id multo studio exequantur, quoniam pacto non dementiæ est, eam contumelia afficere, propter quam parentes dimittendos præcipit? » Vicissim et etiam sponsa veneretur sponsus et uxor maritum, eoque magis, quo magis ipse, velut caput mulieris, representat Deum. Unde I. Cor. XI. *Dicitur imago et gloria Dei, mulier autem gloria viri*; quia vir creatus est, ut supremo suo imperio, quod habet in mundum sublunarem referat et glorificet Deum: mulier autem e viro formata referat et glorificet virum, tamquam Deum suum secundarium, quemadmodum et ad Eph. V. ait idem ap. *Mulieres viris suis subditæ sint sicut in Domino, i. e. in viris suis considerantes Christum Dominum qui est caput et sponsus Ecclesiæ*, inquit Estius. Porro attendendum vobis est, ne buccellam hanc sumatis in iudicium et condemnationem, adeoque cum buccella intret in vos Satan quemadmodum in Judam. Quod fieri solet, cum honorem debitum in contemptum, atque ignominiam convertunt quod accidit septem illis pudicissimæ Saræ impudicis viris, a dæmonio jugulatis, Tob. VI. Non vane igitur Stobæus, ser. LXIX. dixit: *Quando maritus uxorem domum ducit, non solum, ut videtur, uxorem accipit, sed una cum ipsa quoque introducit aut bonum sibi dæmonem aut contrarium*. Plane sicut in buccella eucharistica aliud videtur et aliud continetur: videtur panis, continetur Christus: ita in oblata conjuge, qui jam tibi arridet et blanditur, continetur aut bonus tibi dæmon aut malus. Vide igitur sponse, qualem accipias sponsam, et tu sponsa, qualem sponsum. Videte ut inter vos bene conveniatis, ne cum Juda illo dæmonem pro Christo accipiatis.

II. Do vobis conjugem velut buccellam panis naturalis quo naturalis fragilem et debilitatam confortetis: qualem apposuit Abraham tribus hospitibus, cum dixit: *Ponam buccellam panis et confortate cor vestrum*, Gen. XVIII. Quia enim peccato primorum parentum caro humana depravata, pronaque ad libidinem facta est, succurrit

matrimonium huic infreni appetitui, quemadmodum panis fami. Cæterum uti panem non nisi per bolos ori ingerimus: ita matrimonio utendum quasi buccellatim et moderate. Ac primo, sicut panem non comedimus ad voluptatem (cum sit cibus minime deliciosus) sed ad saturandam famem: ita matrimonio utendum, prout monet apostolus: *Propter fornicationem autem* (scilicet evitandam) *unusquisque uxorem suam habeat*, I. Cor. VII. si nimirum quis cælebs sit et tamen caste vivere nolit. Secundo, sicut pane nonnunquam abstinemus, præsertim diebus jejunii, ita suo tempore abstinendum est usu conjugii, uti insinuat idem apostolus, I. Cor. VII. cum scilicet vacare volunt orationi, pietati, confessioni et communioni. Item in Deo sacratis temporibus, velut in dominica die, de quibus S. Augustin. ser. CCXXIV. de temp. ita scribit: *Qui die dominica aut alia solemnitate continere se noluerint, leprosos aut epilepticos, aut etiam dæmoniacos filios gignunt*. Nicolaus I. pontifex adhuc severior, etiam per totam quadragesimam conjugibus continentiam indixit, in resp. ad quæst. Bulus, cap. L. quamquam hoc moderno tempore, quo rigor pristinus sensim deficit, vim non obtinet. Tertio, sicut de pane pronuntiant medici: *Omnis repletio mala, panis autem pessima*: ita viderint conjuges, ne dulci vino conjugii nimium se ingurgitent. Vinum moderatum prodest; immodice vero haustum obest, etiamsi ex proprio cellario depromatur, ut non male dixerit B. Egidius S. Francisci socius cuidam de conjugali castitate se jactanti: *Ne propterea glorieris; potest enim quis non minus e proprio vase, quam alieno inebriari, ut in ejus vita*. Imo vidit hoc gentilis ille Xystus, philosophus Pythagoricus, qui dicebat: *Adulter est in suam uxorem omnis impudicus amator ardentior*. Quamobrem attendendum vobis est, ut oblatum panem non nisi moderate et per buccellas degustetis. « Conjugalis potestatis, inquit S. Fulgentius, epist. XIII. inculpabilis est usus, officio gignendi divinitus attributus, si justitiæ terminum transgredi libidinosus non permittatur excessus. Justitia vero utendi conjugii hæc est, ut non explendæ libidinis, sed substituendæ prolis obtentæ, sibi conjuges congruo tempore misceantur. Sic ergo quæri debet ex nuptiis, fructus, ut cohibendus sit lubricæ voluptatis excessus. » Quare ad extremum hoc vobis do consilium, quod dedit Booz Ruthæ, priusquam eam sibi desponsaret: *Comede panem et intinge buccellam tuam in aceto*, Ruth. II. Acetum fit e vino corrupto, et quo dulcius fuit vinum, eo acerbius gignit acetum. Ita plane voluptas conjugalis desinit et degenerat

in dolores et luctum, *aperitque conjugatis dolorum officinam*, ut ait S. Basilius, I. de s. virginitate, in liberorum educatione, dotatione, elocatione, ægritudine, morte, in partus doloribus et periculis, etc. quæ si prius expenderent, non sine aceto buccellam suam sumerent. Quam ob causam Tertull. I. de pudicitia c. XVI. voluptates illas conjugales appellat *pomum*, scilicet paradisiacum illud, quod gustatum primos nostros parentes in omni generis ærumnas impulit: *Aspice Paulum, inquit, a justa fruge naturæ a matrimonii dico pomo, animas jejulare cupientem*. Desiderabat quidem S. Paulus fideles abstrahere ab hujus pomi morsu, I. Cor. VII. verum quia omnes retrahi non poterant, liberum id permisit: *Ego vobis parco, inquit, tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi*. Sensit hoc acetum et pomi hujus amaritudinem Rebecca, conjux Isaaei, quæ cum partus doloribus angustia retur, collisis in utero ejus geminis foetibus, dixit: *Si sic mihi futurum erat quid necesse fuit concipere*, Gen. XXV. d. q. utinam pomum istud nunquam gustassem! Sensit et Rachel uxor Jacobi, quæ cum partus difficultate laboraret, ac præ dolore animam ageret appellavit filium suum *Benoni*, h. e. filium doloris mei, Gen. XXXV. Quapropter, o novi conjuges, do vobis quod postulatis, do tibi uxorem sponse, do tibi virum sponsa, sed quomodo buccellas: buccellas primo sacras et quasi eucharisticas, ut honorem debitum vobis invicem impendatis; deinde buccellas físicas, ut conjugio vestro fruamini, velut pane, non immoderate ad explendam ingluviem, sed in buccellas fracto et parce degustato, ad necessitatem et salutem vestram, non ad voluptatem et perditionem.

CONCIO IX.

SPONSUS ITA AMET SUAM SPONSAM, UTI CHRISTUS ECCLESIAM, EX DOCTRINA SANCTI PAULI.

S. Ephrem ex eremo descendit aliquando in vicinam urbem, ut piæ instructionis aliquid hauriret. Occurrit ei meretrix quæ fixis eum oculis intuita cum esset, rogat Ephrem causam, cur sic virum aspiceret. Cui illa: *Mulier e viro, vir e terra prodit. Decet igitur ut ego te, tu vero terram aspicias*, in vita Ephrem. Non inutilis sed pia fuit hæc instructio: quæ et vobis, novi conjuges, prodesse potest. Matrimonium Christianorum efformatum et institutum est ad normam matrimonii Christi Domini, quod contraxit cum Ecclesia; quæ uti Eva ex latere Adami efformata est e latere Christi, in crucem transfixi, uti do-

cent patres. Ad hanc ergo ideam vobis aspiciendum est, ut quemadmodum Ecclesiam Christus dilexit, ita quoque sponsam suam. Hoc est, quod apostolus ad Eph. V. docet, conjuges christianos confirmandos esse Christo et Ecclesiæ, cum ait: *Viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam*. Quare si desideratis sanctas et beatas celebrare nuptias, ad hoc prototypum vestrum aspiciate, Christum et Ecclesiam.

I. Christus ita dilexit Ecclesiam, ut desponderet eam sibi nodo indissolubili, et vinculo perpetuo, quamdiu cum ipsa vivet. Ita enim apostolus loco citato ait: *Adhærebit (vir uxori suæ, sacramentum hoc magnum est in Christo et Ecclesia, h. e. Christi et Ecclesiæ, qui ita conjuncti sunt, nexu indissolubili. Idem sibi persuasum habeant conjuges christiani; imprimis alium conjugem superinduci non posse, quamdiu prior vivit. Quemadmodum enim nodus Gordius a rustico quodam, Gordio nomine, in capistro factus, adeo perplexus fuit, ut a nemine solvi posset, donec Alexander M. eo loci delapsus, cum solvere eum non posset, gladio dissecuit: ita vinculum conjugii, quo hodie connectimini, vos conjuges, scitote esse indissolubile, nec nisi gladio mortis dissecari posse. Idque non lex christiana solum præcepit Christianis, sed etiam lex naturalis dictavit gentilibus. Idcirco enim novæ nuptæ cingulum gerebant nodo Herculeo, implexum, boni omnis gratia, quo matrimonium illud fieret indissolubile, auctore Festo. Idcirco eandem in carpento inferebant domui sponsi, et postea carpentum foris comburebant, ne vehiculum superesset, quo sponsa educeretur, si migrare a marito vellet; adeoque omnis ei spes egrediendi ex illa domo eriperetur; quod olim in Bæotia regione licet prorsus barbara, consuetum fuisse scribit Plutarchus, in problem. Rom. probl. XXVIII. Quanto potiori jure statutum hoc esse debet inter Christianos? Quare agite novi conjuges, imitami Agrienses in Hungaria cives, qui ann. 1562. a Mahomete Bassa gravissima obsidione pressi et sexaginta millibus militum cineti, cum multis promissionibus ad deditionem provocarentur nihil responderunt, sed feretrum inter duas lanceas nigro panno velatum in manibus collocarunt; volentes indicare, quæ lanceas expulsos vellet, mortuos efferret, Maiol. tom. III. canic. coll. II. Eadem fortitudine propositique tenacitate præditi estote, neonymphi, ita ut si dæmon, caro, mundus vos evocare velit, ad scelus adulterii, mori potius eligatis ei in feretro offerri.*

II. Christus Ecclesiam ita dilexit: *Ut sanctificaret eam, et exhiberet ipsi gloriosam, non habentem maculam aut rugam, ut ait apost. loc. cit.*